

ginis, priori domino restituatur, veluti in vi fluminis; si vero id sit *incertae originis*, sicut in alluione, dominus rei principalis praecipuum ius habeat accessio- nem occupandi.

CCCCXLVI. Accessionis industrialis species sunt I. *adiunctio*, quae fit α) *inclusionem gemmae*, β) *in extura purpurae*, γ) *aedificio*, δ) *adferruminatione*, ϵ) *adplumbatura*, ζ) *pictura*, η) *scriptura*; tum II. *confusio rerum liquidarum*, et *commixtio rerum aridarum*, et III. *specificatio*; si v. c. ex argento quis faciat vasa, vel vinum exprimat ex vuis.

CCCCXLVII. Doctrina accessioni industrialis duplici quoque regula continetur, prima est: si rei meae nouum aliquid accedat, quod alienum non est, erit meum, veluti si pingam in mea tabula. Secunda: si accessorium fuerit alienum, vel potest separari, et restitui debet priori domino, vel separari nequit, et res erit *pro rata communis*; ita tamen, vt qui communio- nis auctor est, is alteri omne damnum debeat resarcire; si autem nemini communio imputari possit, tunc vel voluntate vtriusque, vel sorte sit decidendum, qui- nam retineat rem, et alteri per aequipollens satisfaciat

CCCCXLVIII. Species demum accessionis mixtae sunt *fatío*, atque *implantatio*; in quibus aedem sunt tenendae regulae, quae in industriali accessione. Igitur illud axioma: *accessorium sequitur principale*, omni in sensu verum non est; sed solum ea in specie, quando *rei meae aliquid sit accessorium*, quod *adquirere volo*, et *possum physice atque moraliter*. Tunc enim accessio modus est dominium acquirendi, et quidem *secundum quid originarius*.

C A P V T X V.

De Pactis.

CCCCXLIX. Qui alteri declarat suam voluntatem rei alicuius praestae, hoc est, aliquid dandi, fa-

ciendi vel non faciendi, *promittit*; qui vero declarat voluntatem rem sibi promissam in *τὸ suum* recipiendi, ille *acceptat*, seu *stipulatur*. Promissio acceptata *pactum* dicitur; ergo in pacto adest *consensus* seu indentitas duarum voluntatum in idem.

CCCCL. Inde fluit, ad pactum requiri, I. vt quo vel plures idem se velle declarent, hoc est, *consentiant*. II. vt praestatio sit possibilis. Quae si fuerint observata, tunc *τὸ suum* promittentis fit *τὸ suum* acceptantis; adeoque ille paciscendo vel rem, vel operam, vel particulam libertatis naturalis in agendo alienat, hic vero vnum ex his acquirit *modo derivatiuo*.

CCCCLI. Quoniam voluntas alterius sciri nequit, nisi ex signis externis: *vti se alter sufficienter declarat, ita eum iudicandi ius habemus*. Et quia sufficiens declaratio ipsi voluntati equipollet, ideo licet paciscentes aliud mente voluerent, aliud ore proferrent, pactum tamen existeret. Non vero paciscuntur, qui se *iocari* manifestant, aut solum *tractatus* faciunt, et negotiationes pactitias, in quibus adhuc deliberatur, vtrum consentiendum sit, nec ne. v. L. 7. §. 2. *de suppell. leg.*

CCCCLII. Pactum ratione declarationis est *expressum*, si verbis, litteris, nuntio, aliisque similibus signis fiat; et *tacitum*, si vel ex factis desumatur, vel per necessariam consequentiam ex iis, quae expressa sunt, fluat; ita qui in caupona mensae communi adhaeret, tacite promittit se partem suam soluturum.

CCCCLIII. In pacto vel vnus tantum promittit, et vnus pariter tantum acceptat, vel ambo quid promittunt, atque inuicem acceptant; prius vocatur pactum *unilaterale*, posterius *bilaterale*.

CCCCLIV. Sola promissio sine acceptatione vel antecedente, vel consequente non facit, vt res promissoris alteri non stipulanti adquiratur. Si quis porro non impleat huiusmodi promissum: quia nihil de *τὸ alterius* aufert

auffert, obligationem violat tantum imperfectam. Inde patet *pollicitationis* vis, quae definitur: *promissio sine iure acceptandi facta*.

CCCCLV. Quare si quis per litteras vel tabellarium alteri absenti quid spondeat, antequam literae sint reditae, aut tabellarius mentem nostram declarauerit, et voluntas alterius accesserit, promissio sine iniustitia reuocatur. Et licet postea sequatur acceptatio, ea tamen nullum habet effectum deficiente iam *consensu mutuo*. Seneca de Benef. V. 21.

CCCCLVI. Promittens, qui pactum non seruat, denegat stipulatori id praestare, quod in *τὸ illius* est iam translatum, et eum laedit: contra laedentem datur ius cogendi, quod perfectum dicitur, ergo etiam promittens perfecte obligatur, seu *debet* pactum seruare, fidem creditori datam liberare, et porro a *perfidia*, quae dolosa est fidei datae violatio, abstinere. Summa igitur est pactorum necessitas, vt obligatio alias imperfecta et minus secura firma fiat atque perfecta.

CCCCLVII. Ii omnes, qui possunt consentire physice et moraliter, pacisci possunt. Proinde furiosi, mente capti, dementes, infantes, seu pupilli naturaliter, plene ebrii et in somnio annuentes, inire pacta nequeunt; quippe qui vsu intellectus et rationis, atque ipsa voluntatis declarandae facultate carent.

CCCCLVIII. *Error in pacto* venit vel a *promittente*, vel a *stipulante*, vel a *tertio*, semper vero ei imputari et nocere debet, qui est erroris causa; quare si promittentem suum tantum fefellerit animus, quum, quod verbis declaratur, pro vera sit voluntate, error ipsi soli nocebit.

CCCCLIX. Quod si error veniat ab *acceptante*, qui vel ipsemet errat, vel sciens dolo vult alterum fallere, eidem error et dolus imputatur; et quidem si error aut dolus causa vnica et finalis fuit paciscendi, pactum non modo non valebit, omni deficiente promissio-

ris consensu, sed etiam tenebitur dolosus stipulator
dammum datum reparare.

CCCCLX. Si autem error fuit *causa* solum *impul-*
siva paciscendi, et ita incidit in pactum, vt tamen al-
ter fuisset illud initurus, licet non eodem modo, tunc
quidem valebit pactum, sed laesio erranti illata erit far-
cienda. Demum si error veniat a *tertio*, huic tantum
est imputandus, nisi erroris exceptionem etiam stipu-
lator intelligat tacite inesse.

CCCCLXI. Si pactam metu iniusto extortum sit,
Grotius * putat illud valere, quod tamen absolutus ad-
sit consensus; Pufendorfius ** negat, quod nemo ius
habeat naturaliter metum alteri ad extorquendum pac-
tum incutiendi, ergo qui metum iniustum infert, pro-
missionem sibi factam nequeat acceptare, sine accepta-
tione autem pactum non subsistat, licet promittens con-
senserit. Nos quidem eatenus Grotio adstipulamur, vt
si metus in se iniustus, pro iusto externe habeatur, pac-
tum in foro externo sit seruandum; inde tamen nullum
unquam ius nasci potest acceptandi ratione fori interni
et conscientiae.

CCCCLXII. Pacti materia est, quidquid dare, fa-
cere, vel non facere possumus tam physice, quam mor-
raliter; nulla ergo datur obligatio ad aliquid impossi-
bile, veluti ad dandum hippocentaurum. Qui tamen
hoc pollicetur, posset ex alio capite ad satisfactionem
obligari, nimirum si rem possibilem esse simulans al-
terum decepit, veluti Alchymista. Quod si promif-
sum ab initio praestari quidem poterat, sed postea cul-
pa promittentis ei desint praestandi vires, tenebitur et
is omni alio possibili modo satisfacere. Exemplum est
in guloso decoctore.

CCCCLXIII. Irrita est promissio rei illicitae ac tur-
pis, siquidem actionem a lege naturali prohiberi, et
tamen nos ad illius praestacionem adstringi repugnaret.

Quem-

* L. II. c. XI. §. 7.

** De Off. II. et C. c. IX. § 15.

Quemadmodum porro deficiente iure acceptandi pactum nullius est momenti, ita illud stare nequit, si ius promittendi deficiat, velut si res aliena promittatur.

CCCCLXIV. Quoniam per pactum aliquid in *res suam* acceptantis transfertur, iste generatim ius habet non patiendi, ut ab aliis in iure acceptatione quaesito turbetur; speciatim vero cogendi promissorem, ut id, quod pacto conuentum, impleat, atque posterius hoc ius *personale* adpellatur, *quia personae competit tantum in personam*, non in omnes, *ut haec dare vel facere teneatur.*

CCCCLXV. Promittuntur vel facta tam commissiva, quam omissiva, vel res corporales vel alia rerum iura. Igitur impletur promissum, si promittens, quantum in se est, faciat vel omittat, aut si rem *tradat*, hoc est possessionem eius physicam transferat, aut si stipulatorem iuris vel rei vium habere patiatur.

CCCCLXVI. Si promittatur res *individa*, et *immediate singularis*, ius, quod in illam promittens habet, transit in stipulantem per acceptationem; igitur, si is, qui promittit, sit dominus, dominium quoque, utpote res incorporalis, statim in acceptantem deriuatur, et solum ad consequendam possessionem traditione opus est. Competit enim ante illam stipulatori *ius rei certae promissae inhaerens*, siue *ius reale*, ex quo illam a quocunque iuste vindicaret.

CCCCLXVII. Vbi vero res *mediate tantum singularis* aut quantitas, veluti equus, centum aurei pacto transferuntur, pendet adhuc a promittentis arbitrio determinare, quam rem in individuo dare velit. Igitur stipulator dominium et ius reale non acquirit ante traditionem saltem *brevi manu*, vel *longa manu*, vel *symbolice factam*, aut aliam sufficientem rei determinationem; sed habet solum ius personale, seu *ius ad rem*, ut promittens rem promissam certam faciat. Fac vero aliquid ens *uniuersale* promitti, vel uti *protectionem*
assi-

assistentiam, inutilis erit promissio, quae etiam re minima adimpleri possit.

CCCCLXVIII. Circumstantia, quae actum suspendit in futurum incertum rei euentum, *conditio* dicitur. Alia est *naturalis*, quae ex rei natura inest, et subauditur; alia est *arbitraria*, quae conventionione adiungitur. Arbitraria vocatur conditio stricte talis; hancque vel *possibilem* faciunt, vel *impossibilem*.

CCCCLXIX. Possibilis *potestatiua* dicitur, si pendet ab arbitrio eius, in quem ius transfertur; *casualis*, si a fortuna; *mixta*, si est partim potestatiua, partim casualis. Porro *suspensiva* est, si ius et obligatio differtur, donec existat conditio *resolutiva*, si ius et obligatio statim adsit, sed cesset conditione veniente. Quum nemo obligetur magis, quam quatenus se velle declaravit, si conditio deficiat, etiam pactum corruet. Est ergo conditio species pacti, quod servare oportet, nisi sit impossibilis, et ideo vel naturae vel legi repugnet.

CCCCLXX. Quamquam, qui sub turpi conditione aliquid promissit, ex pacto quod nullum est, non obligatur, tamen si rem promissam praestitit, repetere eam nequit. Qui enim scienter dat, quod non debet, gratis id se dare tacite declarat et donat; quod vero semel donatum est, eius non conceditur repetitio. v. L. 82. D. de Reg. Iur.

CCCCLXXI. Atque hac occasione quum valde disceptetur: *an actus iure naturali prohibitus sit etiam irritus?* tres sequentes regulas statuere erit opportunum. Prima igitur sit: Actus simplex illicitus, quatenus vetatur, nunquam ius agenti producit, et eatenus est etiam inualidus. Legem enim naturalem actum prohibere, et tamen ius ex eodem tribuere essent repugnantia.

CCCCLXXII. Hinc altera subiungenda est regula: si actio sit composita, vel non in se, sed tantum propter annexam externam circumstantiam prohibeatur: ille, qui agit, ex ea actionis parte, quae permessa est,

ius acquirere potest. Nulla enim idonea subest ratio, cur actus, qui diuiduus est, in quantum licitus est, effectum suum minime sortiatur.

CCCCLXXIII. Denique tertia sequitur regula: vt quamuis actus intuitu vnus sit illicitus, valere tamen intuitu alterius possit; et quidem duplici modo: vel tam in foro interno, quam externo, vel in alterutro saltem; prout nimirum et ius, quo hic vtitur, internum est, vel externum, aut vtrumque simul. Dum enim quis ius suum vsurpat, legem non habet repugnantem: cessat igitur causa, ob quam actus robore suo priuetur. Cf. Grot. II. V. § 10. n. 1. et §. 16. tum II. XI. §. II.

CCCCLXXIV. Quemadmodum conditione pacto adiecta non magis obligatur promittens, quam se obligari velle declaravit, ex eadem ratione, si addatur dies, ex qua praestanda sit res promissa, eam nequit exigere acceptans, antequam dies apposita venerit. Vbi vero pura, id est, sine die et conditione facta est promissio, tenetur illam implere promittens, quam primum id facere potest, et stipulator praestationem postulat, nec tamen hic statim *cum sacco adire debet.* v. L. 105. D. de Solut. L. 33. D. de vsur.

C A P U T XVI.

De possessionis iure et dominio opinato.

CCCCLXXV. Finita est, teste experientia, humani ingenii vis, nec tanta cuiquam obigit rerum cognitio, vt non maximum earum numerum ignoret, quas omni licet adhibita diligentia scire tamen nequit. Quidquid per vires nostras physicas noscere impossibile est, vti et id, ad quod cognoscendum non sumus obligati, illud inuincibiliter ignoramus, lege haud repugante; planum igitur est, dari iustam plurimarum rerum ignorantiam, v. L. 42. Dig. de Reg. Iur.

CCCCLXXVI,